

cap. 14. §. 10. In ardentibus & malignis summo cum fructu adhibentur utrisque extremis, brachiis & cruribus, cutim exco-riant, urunt & vesicas excitant, in quibus multum serosi succi colligitur. Magni aestimat vesicantia *Hercules Saxonia librò de pbenigmi.*

Parantur hodiè ex cantharidibus, à *Dioscoride* quibus singularis adfricatur noxa, capitibus & alis rejectis, innoxie citra ullum dubium adplicari posse, compertum est hactenus. Modus parandi talis est:

℞ *cantharidum, abjectis alis & capitibus* ℥ij.
euphorbii, *sinapi conquaß.* ā ℥j.
cum aceto acerrimo misceantur.

F. Pasta.

Vel: Nonnunquam cum fermentò acri & semine ammeos ℥ij. & de spiritus vini q. s. commi-scentur, ut fiat Pasta signanda: *Blasenziehender Teig.*

MODUS adplicandi est, ut de hâc pastâ, quantum lubet, capiat chirurgus, & ad thaleri latitudinem & crassitiem illinat parti, quæ dein lineâ, fasciâ deliganda. Intra trium vel quatuor horarum spatium vesica succo adimpleta reperitur, quâ forfice adaperâ succus collectus emittitur. Hæc foliis brassicæ vel carne bubulâ recenti aperta servanda, quamdiù potest.

TEMPUS adplicandi in arbitrio medici est positum, quando commodum videtur.

Hisce adnectimus CATHETEREM tum cereum, tum argenteum, in suppressione urinæ, quæ non raro hic oriri solet, feliciter usurpandum.

CAPUT XLIV

initium pharmacie facit.

PHARMACIA variis nititur scopis, ratione quorum variantur medicamina. Alia LENITER evacuant primas solum vias, & biliosam & putridam colluviem, quæ calorem hunc febrilem producere valet, educunt, *Alia CAUSAM GENE-RATAM*